



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VIII. De criminibus & delictis specialiter episcopis reseruandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1186.

qui eis tenentur, ac diœcesani ipsorum se pronos exhibeant absque damno moræ in monitionibus & coactionibus inferendis: vt videlicet, monitione præmissa canonica, excommunicent decimas non soluentes: nec negligant nec retardent quæ in hoc casu fuerint facienda de iure. Quod si aliquis contemnens decimas soluere excommunicationis fuerit ligatus sententia, & eam per mensem sustinerit animo indurato, contra ipsum contumacē, quoties diœcesanus fuerit requisitus, teneatur inuocare cum effectu solícite auxilium brachii sæcularis. Si quis suffraganeorum nostrorum in executione huius statuti fuerit negligens vel remissus, per suum metropolitanum, vel per Concilium prouinciale subsequenti tempore celebrandum, durissime redarguatur, & etiam puniatur.

RUBRICA VIII.

Ne ducatum præbeat cæcus cæco, casus, in quibus volumus solos adiri episcopos, per hanc nostram constitutionem ecclesiarum rectoribus nostræ prouinciæ intimamus: districte eis sub excommunicationis pœna mandantes, ne de his se vllatenus intromittant, sed illos ad suum in his casibus diœcesanum remittant, qui in his vel eorum aliquo eis voluerint confiteri. Casus autem sunt hi, videlicet, cum quis petit absolui ab excommunicatione maiori lata, vel inducta ab homine, vel a iure: item incendio & crimine publico; sicut in blasphemante Deum, vel sanctos: item in voto qualitercumque emisso: & cum illis, qui filios oppresserunt ex pro-

Concil. Tom. 28.

Mmm m

posito, siue casu: & cum quibuslibet homicidis & sacrilegis, falsariis, violatoribus ecclesiarum & immunitatū ecclesiasticæ libertatis, & sortilegis: item cum iis qui cum brutis libidine polluuntur: item cum incestuosis & corruptoribus sanctimonialium: & in omni occupatione, vsurpatione & detentione rei alienæ, vbi cui restitutio fieri debeat non inueniri potest: item cum periuris, & clandestine matrimonium contrahentibus, ex quo matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri possit: & in omnibus aliis criminibus, delictis & excessibus, in quibus de consuetudine generali vel speciali episcopis seruatur confessio.

## R V B R I C A IX.

Quoniam quidam perditionis filii libertatem ecclesiæ attributam nituntur infringere, quinimo \* esse assidue plura ordinentur remedia, semper tamen de malo prolabuntur in peius, ac in sua pertinacia durius confirmantur, oportet nos vigilantissimi studio intendere ad reprimendam ipsorum malitiam peruersorum. Attendentes igitur, quod licet singuli qui statuta edita, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem seruari fecerunt, vel fecerint, quive secundum eadem statuta, seu consuetudines præsumpserunt, vel præsumpserint iudicare: nec non statutarii & scriptores statutorum ipsorum, potestates, consules & rectores locorum, vbi de cetero huiusmodi statuta vel consuetudines introductæ fuerint, editæ vel seruatæ, maioris excommunicationis sint liga-